



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Judicorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Vel quia  
Graeci  
χινοί,  
hirtum  
vocant.

propter spinas, quasi Latine vel is intractabilem dicere: quamvis sunt qui de nomine id sentiant, ut Echinum dictum velint, *ὅτι τὸ ἔχειν ἐαυτὸν ἀφαιρῶν τῶν σαρκῶν ἐσῶν*, quod scilicet ita sese colibeat, ut nulla carniū appareant vestigia neque figura.

JUDICIUM SEVERITAS. CAP. LXXV

**E**Rant autem apud veteres vasa Echini nomine nuncupata, quae scilicet animalis istius imaginem referebant, quorum in iudiciis erat. Sane iudices, de quibus Pollux meminit, ubi de dietis & dicastis agit, Echinum ahenum, aut opere sicili factum habere consueverunt in quem testium dicta, scriptaq; iudicia conicerentur: ex quo significabatur, non licere cuiquam impune illis manus admove, neq; invertere, aut immutare quicquam, sine gravi supplicio.

NAVIGATIO TUTA. CAP. LXXVI

Plin. lib. 9.  
cap. 31.

Echinus auguriorum interpret, praesertim nautis.

**S**unt etiam qui per Echinum tutam navigationem intelligant; ille siquidem imminente tempestate, quam non secus ac terrestris ventos praesentit, attractis lapillis sese munit, arenaq; navium instar saburra, ne vi fluctuum ulla versari jactarive possit: id enim maxime cavet, ne aculeis exarmentur. Basilus Magnus audisse se proficitur a quodam rerum maritimarum peritissimo, qui diceret, habere se pro comperto, Echinum cum ventorum perturbationem savissimamque maris praesensisset, calculum correptum haud exiguum subisse, seque sub ipso tanquam anchora stabilivisse. Sane quidem nautae simulac eos id facitare conspiciunt, futuram hoc indicio ventorum agitationem, tempestatemq; praesagiant, navigiaq; continuo pluribus anchoris infranant. Admiratur Aristoteles in Hexamero, quo ingenio is ista collegerit, quo doctore praecerit, quis ei fuerit auguriorum interpretes. Falli saepe homines aere perturbato, quod plerunq; res sine tempestate succedat, non falli Echinum, & homini rationis participi documento esse. Unde animali tam exiguo tanta scientia, non modo quod futurum est infortunium ante praevideat, verum etiam quae ratione impendens, periculo sit obviam eundum, non verbis, non sophismatis, non ambagibus oratoris, sed re ipsa commonstret?

MACILENTIA. CAP. LXXVII

**A**dhac macilentissimum hominem per idem animal intelligebant, cui quidem sit hoc peculiare, aut nullam intus carnem contineat, foris & spinulas & crustam, uti dictum, cochleariam tantum habeat, inveniuntur in eo tamen nigra quaedam vice carnis, quae utcumq; sint, a ganeonibus tamen expetuntur. Quod vero ad macilentiam facit, eum ad annum integrum ajunt abstineri cibo. Non relinquam intactum, quod apud Eustathium legi, interna ventris Echinum appellata, unde Callimachus:

*ὄντε μάλιστα βοῶν ποθέσσαν ἐχίνον.*  
De Bove quem cupide magis affectantur echinum.

Idque ea de causa, quod intra se cibum contineat, quod praecipuum est ventris munus.

INSTAURATIO. CAP. LXXVIII

Echini mira restauratio.

**E**xercitum, aut quid hujusmodi ex dissipatis reliquiis instauratum, si quis pingendo significare voluerit, non imperite Echini marini dilaniationem quandam figurabit: ille enim in frusta disceptus, si projiciatur in mare confluentibus sponte in unum partibus, iterum committitur, & efficacissime solidescit.

DE CONCHYLIO. CAP. LXXIX

**C**onchylium quoq; aliquid habet, quod *ἰσχυροφικῶς* accipi potest: tamen si animal ipsum non admittatur, sed quos generat uniones.

LACHRYMÆ. CAP. LXXX

**S**unt qui gemmas omnes in ornatu Veneri debere putent: quod scilicet eam maxime complere esse debeat, & deliciis omnibus affluentem. Gemmae tamen aliquot sua quaedam habent significata, veluti Uniones, quos lachrymarum symbolum esse plerique prodidere: sumptum scilicet a conjectoribus, qui lachrymarum profluvium per visas in somnis margaritas ostendi tradunt: nam & apud Suidam legas, *μαργαρίται δηλοῦσι δακρυῶν ῥόον*,

JOAN.